



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119185

§. 116. Gravis contentio P. Valeriani Magni Capuccini cum Jesuitis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

Sæc. XVII A. C. 1656. Convennensem tum absentem per epistolam hortari voluit, ut & ipse quantumcunque parem transmitteret declarationem. Nec his adhuc erat contentus Senonensis Archiepiscopus, sed ut animi sui sinceritatem luculentiori testimonio comprobata redderet, insuper juramenti formulæ, quam a Petro de Marca Tolosano Episcopo confectam Clerus a cunctis signari præceperat, anno hujus sæculi sexagesimo primo subscripsit.

§. CXVI.

Gravis contentio P. Valeriani Magni Capuccini cum Jesuitis.

Vid. supra l. 202. §. 101. t. 61. p. 724. Korthold Hist. Eccl. p. 910. Apolog. Valer. Jam supra retulimus disputationem Rheinfelsinam, in qua P. Valerianus Magnus Capuccinus, præter alios duos ejusdem Ordinis Religiosos cum Prædicantibus coram Ernesto Hæsiæ Landgravio decertabat, atque inter alia asseribat, quod *Primatus Romani Pontificis non possit probari ex solo sacro textu.* Inde vero Heterodoxi tripudiandi ansam arripuere, perinde ac ipsimet Catholici hunc articulum scripto Dei Verbo haud inniti faterentur: Capuccini vero apud Catholicos inculcabantur, quod doctrinam non Catholicam, sed pravam & propemodum hæreticam Principi Ernesto instillassent: Pro-

Sæc. XVII.
A. C. 1656.

Prodiit quoque ante triennium Ger-
mano idiomate Colonix libellus (*).
Anonymus quidem, a Patre tamen
Joanne a Rosenthal Jesuita, qui post-
modum eidem Principi a Confessionibus
erat, compositus, in quo Auctor
nec Ecclesix, nec Universaliter Catho-
licis imputandum esse docuit, *si aliquis
Catholicus Autor in modo ratiocinandi ex
ignorantia, vel inconsideratione vel ex alio
defectu, aliquid scribit, quod aliter scriben-
dum fuisset, v. g. ubi aliquis existimavit,
non posse ex sancto textu probari Primatum
Romani Pontificis*, sparso hoc libello Vir
magnæ authoritatis Valerianum apud
Judicem Ecclesiasticum denunciabat.
Cum autem Valerianus ob omissam par-
ticulam solo Jesuitam edita apologia seu
animadversionibus falsi nomine notasset,
mox montes fumigare cæperant, &
duo Capuccini de edita hac apologia
suspecti custodiæ traduntur, ipsa apo-
logia ad flammam manu carnificis pu-
blice & adstantibus Capuccinis Colo-
nix addicitur, in Typographum severe
animadvertitur, & Capuccinis intima-
tur, ut intra trimestre ex suo Mona-
sterio aut sponte aut a Nuntio Aposto-
lico

A a 2

(*) Titulus hujus libelli erat: *Breves con-
siderationes de edificio stabili supra Petras,
non super arenam.*

Sæc. XVII. A. C. 1656. lico aut S. Cardinalium Congregatione
 iussi excedant, alias Principali & territoriali jure a Principe expellendi. Eo tempore Valerianus Ratisbonæ agebat, qui totam rei seriem edoctus, suam apologiam ad Cæsarem, summum Pontificem, S. Congregationem de propaganda fide, aliosque primæ dignitatis Viros die vigesima prima Aprilis, transmisit, jam antea autem die octava ejusdem Mensis data ad P. Bonaventuram Ruthenum epistola notatam propositionem vindicare nitebatur: paulo post tamen vulgabatur aliud scriptum sub titulo: *Causæ, cur Principi Ernesto non probetur habitatio PP. Capuccinorum in oppido S. Goari*: insuper Catholicus quidam sub nomine *Jocosi severi Medii* librum edidit, in quo Valeriani disputatio acriori stylo exagitabatur, adversus quem denuo Valerianus die decima Novembris Brunæ in Moravia commentum acuebat, edito commentario atque Appendice, in qua ex Pamphili Cardinalis ac S. Cardinalium Congregationis Præfecti literis die vigesima quinta ejusdem Mensis & anni datis, quod fidei controversias edere & Hæreticos convertere prohibitus fuerit, nonnisi per calumniam fuisse sparsum ostendit. Enimvero anno hujus sæculi quinquagesimo quinto S. Congregatio

Sæc. XVII.
A. C. 1656.

de Propaganda fide die sexta Decembris sequens edidit decretum: *Sacra Congregatio justis de causis mota, deliberate decrevit, nulli Missionario Apostolico, cujusvis gradus, conditionis, præeminentiæ, Religionis, status, &c. in posterum licere aliquod opus proprium, seu alterius, sub quovis prætextu, per se, vel per alium seu alios, typis mandare absque ipsius S. Congregationis expressa licentia in scriptis in forma solita, &c. sub pœna privationis officii, vocis activæ & passivæ, suppressionis ejusdem operis, & excommunicationis latæ Sententiæ, ipso facto incurrendæ, ac soli Sanctissimo D. N. reservatæ: præcipiendo supradictis, & cuilibet ipsorum, ut in casu, quo dictam licentiam obtineant, eandem in ipsius operis initio imprimere teneantur sub iisdem pœnis. Non obstantibus quibuscunque privilegiis, facultatibus, licentiis, &c. etiam oretenus alias datis, seu concessis: quæ omnia & singula per præsens Decretum revocata omnimode censeantur, ac pro revocatis habeantur.*

Verum Valerianus ex literis Dionysii Massari, ejusdem Congregationis Secretarii demonstrabat, hoc decretum non in sui odium, sed contra quemdam Missionarium fuisse editum, eo quod hic ad Mosæ trajectum evulgasset libellum famosum in quemdam Episcopum: nihilominus die prima Maji Va-

Sæc. XVII. Valerianus datus ad S. Congregationem
 A. C. 1656. literis hoc decretum asseruit subrepti-
 tium, & Jesuitarum Societatem tan-
 quam aut hæresi, aut atheismo cor-
 ruptam apud summum Pontificem de-
 nuntiavit, data Prunæ ad eundem se-
 quenti epistola die vigesima octava
 Aprilis.

§. CXVII.

*Ejusdem P. Valeriani epistola ad Pa-
 pam contra Jesuitas.*

Beatissime Pater!

Post beatorum pedum oscula, & ho-
 millimam meæ devotissimæ sub-
 jectionis contestationem: Ego Frater
 Valerianus a Mediolano, Sacerdos
 Ordinis Fratrum Minorum, nuncupa-
 torum Capuccinorum, jussus sub pœ-
 na excommunicationis latæ Senten-
 tiæ, aliisque expressis in Bullis sum-
 morum Pontificum, prædecessorum
 tuorum, denuncio Sanctitati tuæ, me
 per longam annorum seriem certo ce-
 tius observare, quod Clerici Regula-
 res, nuncupati Jesuitæ, dum inhiant
 divitiis, dominationi, & gloriæ supra
 omnes mortales, plurima palam com-
 mittunt prohibita, & omittunt præ-
 cepta sub pœna culpæ mortalis, nub-
 lum